

*MERLINI ALLEGORIA PRO-
fundissimum Philosophici Lapidis
arcanum perfectè con-
tinens.*

Rex quidam alios cupiens superare potentes, se contra eos præparauit ad bellum. Cumq; vellet equum ascendere, præcepit cuius ex militibus suis, vt daret ei ad potandum de aqua, quam plurimūm diligebat. Qui respondens ei dixit: Domine, quæ aqua est illa quam quartis? Et Rex ait: Aqua illa quam quæro aqua est à me plurimum affectata, & ipsa diligit me præ cæteris. Et ille perpendens, statim iuit, & eam detulit ei. Rex autem accipiens eā, babit & rebibit, donec omnia membra sua repleta sunt, & omnes venæ eius inflatæ, & tunc fuit valde discoloratus. Hoc facto, dixerunt ei milites eius. Domine, ecce equū, ascende si placet. Qui respondens dixit: Sciatis me ascenderem non posse. Dixerunt milites, quare non potes? Respondit, quia sentio me grauatū, & dolço caput: & vt mihi videtur omnia membra mea ab inuicem diuiduntur, Iubeo igitur vobis, quod ponatis me in cameram vnam lucidam & ea constituatur in loco calido & sicco, continuè temperato per diem & noctem, & ita sudabo, & aqua quam bibi desiccabitur in me, & ita liberabor. Fecerunt ergo sicut Rex præcepérat eis. Completo vero tempore, aperuerunt cameram, & inuenerunt eum quasi mortuum. Parentes vero statim cucurrerunt ad medicos Aegyptiacos & Alexandrinos præ cæteris honorandos, & adduxerunt ad eū, narrantes eis secundūm quod Regi acciderat. Qui quidem viso eo, dixerunt, ipsum posse procul dubio liberari. Et illi: Quis vestrūm erit magister? Responderunt Alexandrini, nos si placet vobis. Dixerunt Aegyptij, non placet nobis, imò nos volumus esse magistri. Antiquiores enim vobis sumus, licet iuniores videamur. Alexandrini vero consenserunt. Tunc dicti magistri acceperunt Regem, & dilaniauerunt cum in partes minimas,